



9732

1773, 12.

QVAESTIO

IVRIS CONTROVERSI

AN

HEREDITATIS PETITIO
REI SINGVLARIS EX HEREDITATE
VINDICATIONEM SVSPENDAT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG,
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVII. APRIL. ANNO CIOIOCLXXIII.

DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS GRAVBE

EHRENFRIDERSDORF,

LIPSAE

LITERIS RVMPFIIS.



QUESTIO
SACRIS. COMPT. OVERST.

HEREDITATIS PETITIO
RESINGULARIS EX HEREDITATE
VINDICATIONEM SUSPENDAT

ILLUSTRISSIMO IUSTITIAE ORDINIS GRATIA

PRÆSIDIO

D. CHRISTIANO H. NR. PRÆSIDI

PROFESSORIS AULIC. ORDINIS NAT. ET LEGIT.
ET SOCIETAT. LITTE. GOTTINGEN.

IM. AUDITORIUM PETRINO

CAROLVS FRIDERICVS GRABER

LITTE. GOTTINGEN.
1771.





AN
HEREDITATIS PETITIO
REI SINGVLARIS EX HEREDITATE
VINDICATIONEM SVSPENDAT,



§. I.

Admodum dubium videtur, neque negari potest, controuerſum iam eſſe multum inter interpretes, an, ſi hereditas petatur, atque in ea hereditate res ſingularis a tertio vindicanda veniat, illa vindicatio eo vsque ſuſpendenda ſit, donec is qui hereditatem petit, aut vincat, aut ſua repellatur actiōe. Quo minus ex facti ſpecie dubium poſtea oriatur, atque, vt thema recte intelligi poſſit, eam narrabimus cauſam, quae ſcribendi nobis dedit cauſam. Titio furto eripitur vas argenteum, per tertiam manum hanc fortiuam rem emtam poſſidebat Paulus. Hoc paulo poſt mortuo, heres exiſtit Sempronius, qui vt proximus agnatus hereditatem mortui Pauli adit, inque ea hereditate adita ſimul vas argenteum Titii ſibi acquirit. Poſt hanc a Sempronio aditam Pauli hereditatem, Caius producit

A 2

teſta-



testamentum a Paulo conditum ante mortem, atque ex eo hereditatem aditurus, cum Sempronius restituere detractaret, hereditatis petitione instituta vindicaturus est Pauli hereditatem. Tum haec geruntur, Titius expertus, vas argenteum sibi furto ereptum a Sempronio possideri. Vt suam rem habeat, eam a Sempronio tradi desiderat, atque cum affirmaret possessionem quidem, sed tradere recusaret, rei vindicationem contra Sempronium instituit. Citatus Sempronius in vim litis ingressum impediens exceptionis monet, se non conueniri posse, quippe ex Pauli hereditate acquisierit, quae iam litigiosa esset, quamue a se peteret Caius. Facile ex hac facti specie apparet, diuersam aliam fore speciem, si ipse Sempronius bonae fidei possessor hereditatis rem ante Pauli mortem ereptam a tertio possessore vindicaturus sit, postquam Caius hereditatis petitionem instituerat: imo alia adhuc, si ipse Caius antequam in hereditatis petitione obtinuerat, rem ad hereditatem pertinentem vindicaturus sit. Videamus quid legibus conueniat.

§. II.

An Caius, qui hereditatem petebat a possessore singulari titulo subnixo rem ad hereditatem pertinentem vindicare possit, tractat BERGERVS in *Oecon. Iur. L. II. Tit. IV. th. LIV. n. 7. Prouocat ad L. 2. et 7. C. de hered. pet.* Adducit praeterea DONELLVM in *Comm. de Jur. Civ. L. XIX. Cap. XV.* qui regulam *L. 49. ff. de her. pet.* limitandam censebat, cum PAPINIANVS huius capituli autor prius differuisse de ea specie, si periculum adsit, ne inter moras actiones intercidant. Refert amplius Donellum refutatam satis esse ab HILLIGERO in *Not. ad Donelli loc. cit.* Neque mihi videtur assensum mereri Donelli dubitatio. Saltem si verba Papiniani accurate examinamus, res clarior erit. Scripserat JCtus: *Si bonae fidei posses-*

possessor hereditatis velit cum debitoribus hereditariis, aut qui res hereditarias occupauerint, consistere: audietur, utique si periculum erit, ne inter moras actiones intercidant. Petitior autem hereditatis, citra metum exceptionis, in rem agere poterit, quid enim, si possessor hereditatis negligat? Quid si nihil iuris se habere sciat? Apparet, verba capitis posteriora ad praesentem causam referenda esse. In his vero, quamuis probari possit in prima capitis parte limitationem esse, nulla tamen limitatio adiecta apparet, sed generaliter affirmat, petitorem hereditatis citra metum exceptionis in rem agere posse. Causas, quas addit, vel in eo quaerit, quia fieri posset, ut possessor hereditatis negligens sit in instituenda actione, aut sciat, se nullum habere ius, limitationem non inuoluunt, ut haec regula a Papiniano data tantum intelligenda sit de ea specie, si periculum in mora sit.

§. III.

Altera species, quae dubitationem continebat, est, si possessor hereditatis rem ad hereditatem pertinentem vindicaturus est, an sua vindicatione audiendus sit. Cum dubia adhuc sit causa, petitione hereditatis non dum finita, an ab hereditatis petitione absoluitur, atque sit, qui se heredem defuncti esse adfirmet, atque in rem suam testamentum producat; dubitari posset, an ad vindicationem rei singularis, quae defuncti fuerat, quamque tanquam heres tantum vindicare potest, admitti debeat. Sed salua res est si, sequamur auctoritatem PAPINIANI, quem antea adduximus. Scripserat: *Si bonae fidei possessor hereditatis velit cum debitoribus hereditariis, aut qui res hereditarias occupauerint, consistere, audietur, utique si periculum erit, ne inter moras actiones intercidant.* Particula *utique* non inuoluit limitationem aliquam, quae agendi facultatem restringat, sed potius inducit rationem, cur ab eo actio institui possit, quia fieri posset, ut intra tempus, quo de ipso iure hereditario petitior atque



possessor contendunt, actiones expirarent. Quare verba: *utriusque si* interpretor per *maxime si*, vel *potissimum si*, ut sic vnius positio non sit alterius exclusio. Addo: in altera specie, quam Papinianus adduxerat, nullam limitationem adiecerat Ictus, sed quia fieri posset, ut possessor hereditatis negligens sit in instituenda actione, propterea adferit, petitorum agere posse. Non supponit negligentiam, cum mora adsit, sed illimitate adfirmat, agere posse petitorum, ergo illimitate quoque agere potest possessor. Neque me mouet, quod litigiosa sit hereditas. Concludo enim, si is, qui petit hereditatem, nec eam possidet, tamen agere potest, multo magis is aget, qui possidet hereditatem, cum illa regula per omne prope ius obtinet, praesumptionem esse pro possessore faciendam. Si itaque is, qui hereditatem possidet, ex legis autoritate pro herede habendus sit, quo usque ad tradendam petitori hereditatem nondum est condemnatus, per se patet, eundem etiam hereditarias actiones omnes, siue sint reales, siue personales, recte instituere posse, siue adsit periculum ex mora non institutae actionis proueniens, siue nullum adsit periculum metuendum.

§. IV.

Sed, si possessor hereditatis agit, videtur id factum fuisse in detrimentum ipsius petitoris, si postea petitor obtineat in hereditatis petitione. At haec nulla mihi videtur esse obiectio. Sane impossibile est, ut exinde damnum aliquod eueniat petitori. Nam si a possessore hereditatis res euieta sit, ipseque eandem habeat, fac postea eum teneri ex re iudicata restituere hereditatem petitori, non est dubium, ipsam rem euietam simul reddendam esse petitori. Neque ergo ab hac parte quid metuendum erit petitori, ex quo impedire possit possessorem hereditatis, quo



quo minus rem illam ad hereditatem pertinentem a tertio possessore vindicet.

§. V.

Veniamus demum ad nostram speciem, cuius facilis iam erit decisio. Alius scilicet petit hereditatem, alius possidet eandem, alius denique rem in hereditate inuentam vindicaturus erat. Verum rei vindicationis fundamentum quaerendum est in dominio: quod si probare poterit, is qui rem vindicaturus est, parum interest, quae sit ea persona, a qua vindicanda est, tummodo possideat. Ipsa actionis formula tantum respicit ad rem vindicandam, nulla personae mentione facta: sc. AIO, HANC REM MEAM ESSE IVRE QVIRITIVM. Cum ergo primum, in quod formula concepta, sit res, et illius possessor actionem suscipere teneatur, sufficit, si rem possideat, nulla habita ratione ipsius possessionis et ita decidebat VLPPIANVS in L. 9. inf. ff. de Rei Vind. Ait: Puto, ab omnibus, qui tenent et habent restituendi facultatem, peti posse. Et ab initio capitis adferebat: Officium iudicis in hac actione in hoc erit: ut iudex inspiciat; an reus possideat: nec ad rem pertinebit, ex qua causa possideat. Vbi enim probauit rem meam esse, necesse habebit possessor restituere, qui non obicit aliquam exceptionem. Refutat simul Pegasi opinionem, qui asseruerat, alterum nec vi, nec clam nec precario possidere debere. At forsitan exceptionem obiicit possessor, rem cum ad hereditatem pertineat, esse simul cum ipsa hereditate litigiosam: nam adseruerat Vlpianus ab eo possessore esse restituendam, qui non obicit exceptionem. Sed ad eam exceptionem respiciendum plane non esse, exinde patet, quia, etiamsi is, qui petit hereditatem, rem possideret cum integra hereditate, restituere tamen deberet, probato ab altero dominio. Et quid illa lis, quae inter petiorem atque possessorem ventilatur de vniuersitate, ad eum

cum pertinet, qui euidetur est rem singularem, ut ex ea lite exceptio admittenda esset, quominus, quod suum est, consequi haud possit a possessore. Est enim ea exceptio, si opponeretur de iure tertii, imo de re diuersa. Nam in hereditatis petitione obiectum litis est integra hereditas seu vniuersitas, in rei vindicatione res tantum singularis, licet ea in vniuersitate deprehendatur. Neque res illa singularis vindicanda dici potest litigiosa, quamuis vniuersitas litigiosa sit. Et praeterea cum possessio praesumptionem pariat pro possessore, is vero, qui non possidet, quousque possessor condemnatus nondum tradidit, conueniri nequeat a domino rem suam ex hereditate euincente, frustra obiiceretur litis de hereditate motae exceptio. Quae enim causa esset, cur sua re dominus diutius careat propterea, quod tertius possessor litem de vniuersitate rerum, inter quas est euincenda, mouerit. Quapropter hereditatis petitio instituta rei singularis in hereditate inuentae vindicationem non impedit, sed suspendet. Simulac enim dominus suum probauerit dominium, liquido apparet, eam inter res hereditarias non fuisse connumerandam, neque petitem eam cum hereditate petere potuisse, cum ad hereditatem haud pertinuerit.



ULB Halle
004 758 501


3



56







9132

1773, 42.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
HEREDITATIS PETITIO
REI SINGVLARIS EX HEREDITATE
VINDICATIONEM SVSPENDAT

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG,
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVII. APRIL. ANNO MDCCCLXXIII.
DEFENDET
CAROLVS FRIDERICVS GRAVBE

EHRENFRIDERSDORF,

LIPSAE
LITERIS RVMPFIIS.

